

**2017 TSJCL CONVENTION
SIGHT RECITATION
LEVEL III**

postquam Styga hōc modō trānsiit, Herculēs ad sēdem Plūtōnis ipsīus vēnit; tum causam veniendī docuit, atque ab eō petīvit ut Cerberum sibi auferre licēret. Plūtōn, quī dē Hercule audīverat, eum benignē excēpit, et facultātem quam ille petēbat libenter dedit. postulāvit tamen ut Herculēs ipse, cum iussa Eurystheī fēcisset, Cerberum in Orcum rūsus redūceret. Herculēs hoc pollicitus est, et Cerberum, quem nōn sine magnō periculō manibus prehenderat, summō cum labōre ex Orcō in lūcem ad urbem Eurystheī trāxit. eō cum vēnisset, tantus timor animum Eurystheī occupāvit ut ex aedificiō statim refugeret. cum autem paulum sē ex timōre recēpisset, multīs cum lacrimīs ab Hercule ōrāvit ut mōnstrum sine morā in Orcum redūceret. sīc contrā opīniōnem omnium duodecim labōrēs quōs Pŷthia iusserat intrā duodecim annōs cōfectī sunt. quae cum ita essent, Herculēs tandem servitūte liberātus magnō cum gaudiō Thēbās rediit.